

3056
366.

DE
VENTRICVLIS CEREBRI
TRICORNIBVS
LVCVRATIONES ANATOMICAE

QVIBVS
AD AVDIENDAM PVBLICAM ANATOMEN
CORPORIS MASCVLINI

QVA
VISCERVVM DIGESTIONIS INFIMI VENTRIS FABRICAM
A. D. III. KALEND. APRIL. ET DIEB. SEQVENT.
HOR. X. ANTEMER. ET II POMERIDIANA
EXPOSITVRVS EST

LECTORES BENEVOLOS

HVMANISSIME INVITAT

D. IOANNES GOTTLOB HAASE
ANAT. ET CHIRVRG. IN ACAD. LIPS. PROF. P. ORD.
SOCIETAT. SCIENT. REG. GOETTING. ET OECON.
LIPSIENS. SODALIS

A. D. IV. KALEND. APRIL A. R. S. MDCCLXXXIX.

LIPSIAE

EX OFFICINA BVESCHELIA.

Cerebrum.

Anat.
A.
230/48

Dis anat, 610 4

Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to its low contrast and orientation.



DE
VENTRICVLIS CEREBRI TRICORNIBVS

Cum semestris huius hyberni anatomicis lectionibus eo usque iam effemus progressi, vt propter ferias, quae instant, ab earum fine non longe inueniremur remoti, peropportuna publicae dissectionis nobis nata est occasio, qua varia, quae de singulis infimi ventris partibus Commilitones Humanissimi a nobis accepissent, partim eos iterum docere ac cum iis repetere, partim ita explicare possemus, vt in eorum scientiam etiam alii, qui corporis sui quandam cognitionem sibi comparare cuperent, a nobis adducerentur. Senatus enim huius ciuitatis Sapientissimi cura ac benignitate factum est, vt cadaver hominis, qui in ea, in quam datus esset, custodia, morbo extinctus erat, in anatomicum huius Academiae theatrum deferretur et ad secundum nobis traderetur. Nondum ex mente nobis excidit, nos eodem consilio, et, vt aliis viscerum concoctionis ciborum structuram spectandi faceremus copiam, de musculis, abdomen cingentibus, peritoneo, membrana illa, quae partes infimi ventris alias comprehendit ac involvit, alias celluloso vinculo sibi iungit, et ventriculo, eique annexo duodeno, ante quatuor annos publicis sectionibus egisse, earumque partium non texturam tantum, sed quae ad orationem aliis commendandam plurimum valet, utili-

tatem etiam declarasse. Cum vero digestionis fines latius pateant et ad eam perficiendam aliae praeterea partes, reliqua nimirum intestina et hepar, aliaque viscera comparata sint, ab eo, quo tunc temporis substitimus, loco progredi, ceterorum huius generis organorum contextum cogitatione et oratione assequi, aliarumque, si hoc fieri posset, fabricam publica demonstratione et commentatione attingere et adumbrare constituimus. Cui labori praemittenda esse nonnulla existimauimus, quae de cerebro eiusque ventriculis tricornibus collegeramus; praesertim, cum ea ab eo non negligenda nobis visa essent, qui in partibus his, non rudi sed diligente manu, examinandis operam et tempus collocare cupiat.

Non omnium aetatum humani corporis ad quamcunque partem explorandam vnam eandemque, sed admodum diuersam rationem esse, et viscera alia in hac, alia in illa aetate, recte et commode disquiri, experientia, quam e rei anatomicae per multos annos continua administratione nobis comparauimus, nos satis docuit. Infantum vnius anni cerebra mollissima sunt, nec, nisi mature cranium aperueris, ita se dimoueri patiuntur singulae cerebri particulae, quin ruptae dissectoris, qui cerebri tubercula quaeuis, crura, thalamos et pedunculos ad finem vsque scalpello persequi cupit, operam fallant atque confundant. Neque senum decrepitorum cerebra, licet rigeant et dura inueniantur reliqua viscera, disquisitioni accommodatissima dicere mallems, quippe quae saepissime tantam infirmitatem mollissimarum huius visceris fibrarum nobis prodiderunt, vt, dum illud caluaria eximere vellemus, neruorum radices iusto citius abrumperentur. Vtilissima eius est exploratio in corporibus hominum mediae et confirmatae aetatis, quippe quae, nisi in vniuersis eorum partibus morbo, veluti hydrope, vel diuturniore in vasis cerebri sanguinis accumulatione et stasi, nimis relaxata et fracta sit cohaesio fibrarum, huius organi robore non carent.

Du-

Duplici autem via et ratione cerebrum inciditur eiusque visceris ventriculi et aliae partes disquiruntur: altera, qua, cranio aperto, duram matrem, transuersa sectione discissam, a latere ad processum falciformem reclinamus, eamque, cum hoc processu a crista galli ossis ethmoidei et spina ossis frontis interna resectam, tentorium cerebelli versus reponimus et viscus ipsum in cranio in suas et minores diuidimus partes; altera, quam *CEL. HEBENSTREITIO* *), Viro diuini ingenii et amplissimae doctrinae ad clariorem reddendam variorum tuberculorum structuram maxime probatam esse legimus, et qua cerebrum a neruis et vasibus resectum caluaria eximitur. Suam cuique laudem esse nouimus, vnam tamen ad cunctas encephali partes, vt par est, demonstrandas non sufficere, sed in administranda perfecta partium cerebri dissectione vtraque vtendum, denique alteram illam, qua cerebrum e cerebro eximitur, consilio accommodandam et diuerso modo perficiendam esse, nostris obseruationibus ac experimentis nos demonstrare posse plane confidimus. Si cranium ferra satis profunde diuiseris et diuisione feceris orbem, qui in frontis loco vltra pollicis magnitudinem a glabella non distet et in temporibus futuram squamosam vel attingat, vel limites eius deorsum paullisper excedat, et in occipite spina cruciata paullulum altior sit, sectio peropportune fieri potest, nec vquam quid impedire potuit, quin deinceps inde a fornice caluae vsque in ventriculos cuncta perlustrare et commilitonibus clare demonstrare possemus; modo non decliuitate occipitis naturalis cerebri eiusque partium situs esset mutatus. Habet etiam haec sectionis ratio hoc commodi, vt marginum fossarumque ad sulcos et processus cerebri relatio cuique facile obuia et manifesta sit, quod, cerebro e sede sua remoto, secus esse nemo inficias ire poterit. Marginem sphenofrontalem fissurae magnae *SYLVII* et sphenopetrosam fissurae, quae appendicem siue lobum posteriorem a

A 3

me-

*) *Progr. de methodo cerebrum incidendi.*

medio distinguat, accommodatum esse et singulos hemisphaerii male ita dicti, lobos singulis baseos cranii foveis excipi, is, qui, durae matri et arachnoideae tunicae intermissa manu, hemisphaerium introrsum leuiter sustulerit, facile intelliget. Est denique pia mater cum sinibus durae meningis per venas ita connexa, vt soluto vinculo, te destitutum videas multis, quibus ad faciendam plenam vasorum huius visceris demonstrationem carere non possis. Inprimis profundas ex cerebri interioribus partibus, ventriculo scilicet tertio, radices venae trahunt, quas per choroideos plexus cum vena magna GALENI et sinu recto coniunctas esse, nisi dura mater cum his partibus cohaereat, vix recte intelliges. Si quis vero vellet duram matrem ipsam cum cerebro refecare, cogitet, tam arctum eius cum ossibus ipsis tam per vasa, quam fibras, esse nexum, vt citius dirumpatur, quam solvatur. Quanquam igitur THOMAS BARTHOLINVS *) ab iis, qui secundo a superioribus ad inferiora progrediuntur, et cerebrum transuerso ductu ad centrum ouale VIEUSSENI et corpus callosum dissecant, dissentit, et more CONSTANTINI VAROLII ab infima eius parte et medulla oblongata demonstrationis principium petiit, caussae tamen, quas commemorauimus, tam iustae esse nobis visae sunt, vt sententiam eius sequi non possemus.

Neque tamen quis sibi persuadeat, nos plane ab iis abhorre-
re, qui cerebrum, vt illud dissecant, a basi cranii refecant. Qui
in visceris huius demonstratione recte versari cupit, hunc puta-
mus in diuersis partibus eius ad visum plane exponendis vtraque
ratione vti debere. Quoties encephali partes Commilitonibus
exponendae erant, toties, eo in cranio relicto, cunctas eius par-
tes non solum a gyris et anfractibus usque ad ventriculos laterales
demonstrare, sed ad tertium vsque, diductis leuiter thalamis ner-
uorum opticorum, scalpello penetrare, imo tria cuiuslibet ventri-
culi

*) *Anatom. reform. Lib. 3. cap. 4.*

—————

7

culi lateralis cornua perlustrare, tractumque pedis hippocampi cum tenui corporis fimbriati margine, leuata nonnihil, quae istis partibus imposita erat, medulla, oculis persequi potuimus. Quodsi vero de cerebello et basi cerebri quaeritur, semper altera illa secandi ratione, priori praelata, tentorium cerebelli primo vtrique ad os occipitis vsque diuisimus et cerebrum, praescissis neruis, inuerimus, quo facto bulbi *SANTORINI*, tractus neruorum olfactoriorum et opticorum, aliorumque, *PONS VAROLII* et medulla oblongata cum vniuerso cerebello satis visui sese obtulerunt. Grauiissimae profecto sunt, quae dissectorem vt hoc agat admo- neant, caussae: primum enim truncis neruorum cum carotidibus resectis cerebrum ipsum facile in manus recidit; deinde cerebri nerui, qui a *PONTE VAROLII* et a medulla oblongata siue cephalica medullae spinalis parte oriuntur, plane conspectui se praebent; quo modo crura cerebri medullaria partim in pontem *VAROLII*, partim in medullam spinalem sese proferant, et cum pedunculis posterioribus cerebelli, ex rhomboideo corpore natis, confluant, iucundissimo quoque spectaculo cognoscitur. Sunt etiam, qui dicant, arachnoideam facilius in basi, quam in superiore parte encephali oculis conspici et flatu eleuari; haec tamen membrana, cum ab vno gyro ad alterum pontis instar transeat, modo tubulus cautus ei submissus sit, facile aere immisso declaratur. Denique etiam haec cerebri inuersio non potuit impedire, quo minus, ducto cerebello a cephalica medullae spinalis parte siue medulla oblongata, ipsum ventriculum quartum aperiremus.

Quodsi tamen quis arterias earumque cum truncis connexionem rimari cupit, haec secandi ratio, cum nihilominus cerebrum remoueri debeat, non quidem prorsus deserenda, ita tamen dirigenda et mutanda est, vt piam matrem vasis annexam in cranio relinquamus; quod nuper, cum arteriae cerebri prosperime cera a nobis repletae essent, vsus nos docuit. Vt scilicet

tis

arterias capitis, quotquot possemus, cera repleremus, tubulum in carotidem communem vtrinque immisimus, et per eum in capitis, satis fotti, arterias liquorem cera commistum iniecimus ita, ut copiosa capitis vasa turgent. Non solum enim omnes arteriae carotidis externae rami, imprimis arteria maxillaris interna, cum suis ramis ceram susceperant, sed erant etiam ea materie repletae fere cunctae arteriae, quae a carotidibus internis et vertebralibus ad cerebri et cerebelli basin et inde ad ipsas interiores eorum partes distribuuntur. Quae cum a nobis visa essent, partim piam meningem cum vasculis ex eius cerebri interstitiis pedetentim tractitando, partim, corticem ab ea deglubendo, arterias cerebri et cerebelli conseruauimus, ita ut omnium, tum maiorum, tum minorum, cum truncis caroticis et vertebralibus nexus et ascensus cuique facile demonstrarentur. Quae facile fieri possunt, cum vasa ad piam meningem ita distributa et multifaria sua diuisione in tam paruos ramos mutata sint, ut cortici quidem vbiq; inhaerere, ab ea tamen modo a nobis commemorato facile dissolui possint.

Cum, aperto sinu cauernoso et diffracto canali carotico, eam durae meningis partem, quae sulcum caroticum, qui a latere sellae equinae est, eo, quo HALLERVS id fieri recte docuit *), modo vna cum vagina, quae carotidem in canali comprehendit, membranacea remouissemus, arteriam meningeam paruam, si cera eo usque penetrarit, facile declarari posse intelleximus. Antequam enim carotis quartam a clinideo anteriore processu in ipsum cranii cauum flexionem, qua duram matrem perforat, effecisset, trunculus breuis ab ea erat natus, in quatuor ramulos diuisus, quorum duo minores, meningei dicendi, a latere exteriori nerui sexti in duram meningem, facta quasi decussatione, inferebantur, tertius retrorsum decurrebat, quartus vero, siue anterior sextum neruum in progressu ad orbitam

*) *Icon. arter. Fasc. VII.*

tam comitabatur. Explorationi earum partium quo magis inhaerebamus, eo certiores reddebamur, cerebro a pia matre in cranio ita remoto, ut illa ibi cum vasis relinquatur, totam seriem vasorum arteriosorum eorundemque, qui per canales osseos cranium intrent, truncorum ad cerebri partes varias accessum plane sese nobis offerre. Non solum enim manifesta est ophthalmicae arteriae ex carotide interna origo, sed nihil etiam adest impedimenti, quo minus circuli arteriosi WILLISII cum truncis connexionem funditus perlustremus. Quae non carent insigni quadam in iis certe suauitate, qui e rei anatomicae studio et usu voluptatem capiunt, cum, qua ratione huius circuli et basilaris arteriae beneficio cunctas encephali partes riuulis allui solertissima natura voluerit, clare spectari possit. Facillime etiam rami arteriae basilaris earumque, quas vertebrales vocant, explorantur. Si enim protuberantiam annularem WILLISII a basilari siue trunco arteriarum vertebraliū communi HALLERI et pia matre degluberis, nervis, qui ex illa cerebri parte prodeunt, solerte manu resectis, cerebri arteria profunda, cerebelli superior, et alia, quae eius profunda est, cum auditoria prorsus ante oculos collocatae reperiuntur. Neque tamen eorum, qui vasorum causa cerebrum a basi cranii cum pia matre resecant, consilium prorsus reprobamus, imo, arteriarum per cerebri sulcos ac exteriores recessus distributionem aliarumque inferiorum partium formam in cerebro inuerso egregie in conspectum produci, elegantissimae RUYSCHII, HALLERI, SOEMMRINGII, MEYERI, aliorum, icones manifesto comprobant. Quodsi tamen naturalis vasorum directionis eorumque cum truncis in cranium ingredientibus nexus ratio habenda est, tum piam meningem cum vasis a basi cerebri, antequam haec remoueat, separandam et in basi caluaria relinquendam, nilque, quo consilii causa carere non possumus, resecandum esse ducimus.

B

Re-

Remotis autem inuolucris ad interiora et ventriculos facilius praebetur aditus; in quo nobis parando quomodo versari soleamus, breuiter exponemus. Vt corpus callosum plane appareat, hemisphaeria leniter sunt diducenda, et primum ab exteriori interiori partem versus et leuiter sursum scalpellum dirigendum; tum vero, si ad centrum ovale *VIEUSSENI* propius accesseris, strata medullaria a margine callosi corporis sursum et superiorem versus hemisphaerii partem caute et leui manu rescanda. Quo facto in oculos incurrit corpus callosum, latius anteriore quam medio, latissimum posteriore loco, ubi cum posterioris lobi medulla transversis striis coniungitur; est ibi fere fornicata utrinque in laterales medullae partes continuatio et apertae sunt transuersae cum longitudinali raphe striae, quas chordas vocant. In ventriculis sectio a posteriore parte et a latere corporis anteriora et exteriora versus caute dirigenda et tenuia strata demenda, donec apertura in ventriculo appareat, quo facto lacunar superius ventriculi inde a corpore calloso exteriora versus scalpello dimouendum. In ipso ventriculo corpus striatum cum crure anteriore fornicis sulcum intercipit, aqua interdum plenum, unde centrum geminum *TARINI* sese profert, quod inter plexum choroideum sub fornicis crure posteriore, dum thalamum ophthalmicum a corpore striato posteriora et exteriora versus distinguit, inter posteriorem eius partem plexumque choroideum, hippocampo ibi impositum, finiri videtur, vere tamen tractum hippocampi longius sequitur. Nam ad corpus simbriatum et digitum maiorem hippocampi vsque illud persequi potuimus, donec in cornu descendens esset deflexum. Corporis striati striae transuersae sunt, vbi ad horizontem diffecatur; si sectio perpendicularis per mediam eius partem facta est, magis puncta alba, quam striae apparent, idque fieri nobis visum est fere eodem modo, quo ea, quae sanguinem continent et per medullam perueniunt,

dunt,

dunt, parua vasa, in cerebro transversim dissecta, puncta rubra monstrant. Locum etiam ibi habet plexus choroideus, qui e basi cranii sub nervis opticis, antequam illi in parte quadrangulari ZINNI cogantur et inter se uniantur, emergit et super obtusum finem hippocampi seu maiorem eius digitum in ventriculum tricornerum curvo itinere ascendit viamque inde a posteriore regione antrorsum dirigit. Si in cornu anteriore scalpellum obtuso fini hippocampi, nervo optico et frenulo TARINI intermiseris, et opticum neruum, antequam cum simili, qui alterius lateris est, confluat, paullulum leuaris, tria apparent tubercula, posterius thalamus nervi optici est, qui a cornu hippocampi anteriora versus profecto comprehenditur, medium est tuberculum inferius et minus SOEMMRINGII, anterius crus cerebri; breui ante hoc tuberculum confluit nervus, e thalamo productus, cum crure cerebri, cuius ibi manifestae sunt striae, quae ad pontem descendunt.

Sunt alia, quae partim ad digiti minoris hippocampi in diverticulo cornu posterioris cum medulla posterioris lobi unionem et confluxum quasi spectant, partim vero ad fornicem, septum pellucidum et glandulam pinealem, fornicis cruribus interceptam et velo vasculoso tectam, pertinent; at enim vero, cum haec scripti huius angustis limitibus comprehendi satis non possint, eam officii nostri partem, cuius caussa haec a nobis sunt scripta, praestemus. Dissecandum nimirum suscepimus cadaver, in quo structuram viscerum digestionis aliis peropportune exponere possemus. Quare RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, COMMILITONES GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS, omnesque, qui

qui a studio anatomico non abhorrent, sed ei favent, ad hanc demonstrationem humanissime invitamus.

P. P. Dom. Judic. A. MDCCLXXXIX.



Anat Arzo, 48

